

# MONUMENTA AQUENSIS HISTORIAE PARS I.

*Donatio aliquorum prædiorum a Grimovaldo  
facta Bodoni Aquensi Episcopo.*

DCCCXCI.



In nomine Domini amen. Regnante Domino nostro Berengario anno regni ejus quarto, die secunda januarii, indictione nona. (1) Constat me Grimovvald filius quondam Alvart per hac chartula providisse pro anima mei, & Anselvverte quondam uxoris mei, atque consensu Wiberti consobrino meo &c. . . . filius meus offerre, & dedisse ad . . . . Aquensis cui præesse videtur Dompnus (2) Bodo Episcopus, omnia quæ habere visus sum in curte de Urba, idest casellam curtem castrum orto atque vineola mea prope eodem castro ortoque est per mensuram justa jugia XIII. & . . . ipsa castella cum solario, & cum cella, & terra, & vineola ipsa in prædicto loco omnia in integrum, atque mihi in eundem loco nihil reservari . . . . quatenus ab hac die . . . . sit in potestate, & dominatione ipsius prædictæ Ecclesiæ, & prædicti domini Bodonis Episcopi, qui modo est aut . . . . qui postea fuerint habeat potestatem avendi, & usufructuandi . . . . & si nos aut quisquis ex eis quærere aliquid volueritis hunc nos vobis ad parte ipsius Ecclesiæ superscriptas res defendere debeant, & si ego vel (3) heredibus meis quod absit res de parte ipsius Ecclesiæ, quas dedimus retollere voluerit, vel contendere tunc ad parte ipsius Ecclesiæ da parte illorum tantas, & tales res in consimile loco restituere debeant, & hanc chartulam offerfionis pro . . . . animæ meæ, & uxoris mei eo tenore prout superius legitur per VVibertum-notarium scribere rogavimus. Actum Aquis præsentia Alvart (4) Scabino (5).

Signum manus Grimovvaldi, qui hanc chartula fieri rogavit.

Signum manus Wiberti . . . . quondam Grimovvald consensu sicut superius legitur.

Ego Wulphius Scavino rogatus a Grimovvaldo, & Wiberto testis subscripsi.

Ego Adovald rogatus a Grimovvald, & Wiberto testis subscripsi.

Ego Avito sancte Aquensis Ecclesiæ Diaconus rogatus a Grimovvaldo, & Wiberto testis subscripsi.

Ego qui supra Wibertus scriptor post tradita complevi, & dedi.

(1) Notæ istæ conveniunt inter se, atque indicant annum DCCCXCI. Sed qui fieri potuit, ut Widone jam

anno octuagesimo nono juxta Murator. in Annal. & Tiraboschi in notis ad Docum. LI. Historia Monast. Nonantul. in Comitibus Ticinensibus in Regem electo in hac Lombardia parte Berengarii jam bis devicti per Venetorum castra finesque latitantis epocha chartas notarii signarent? Numquid Berengario exeunte anno mars arrisit? At si Wido mense februario hujus anni a R. Pontifice salutatus imperator fuit, credendum sane est nil hic adversi ei contigisse. At Muratorius diff. III. pag. 85. T. I. Ant. med. ævi jam notavit multis tenebris obsitam esse horum temporum Chronologiam. Has tamen, nonnisi ubere Documentorum veterum, quibus adhuc caremus, ad hæc tempora spectantium segete prolata, dispelli posse sperandum est.

(2) En alterum exemplum hujus vocis Episcopis hoc sæculo tributæ cum iis recensendum, quæ ex Bergomatibus archiviis adversus Com. Georg. Julinum protulit M. Lupus in novo Cod. dipl. Eccl. Bergom. Hic Bodo undecimus est in meo Elencho Episcoporum Aquensium.

(3) Hic deest: aliquis ex, vel quid simile.

(4) Alium puto ac Patrem Grimovvaldi initio chartæ hic nominatum.

(5) Scabini, munus a Regibus Francorum inventum, sunt iudices seu adfessores Comitum, Mur. diff. X. T. I. p. 498. distinguit a iudicibus, quod isti a Rege seu Augusto constituerentur. Scabini vero a populo cujuscumque civitatis eligerentur. M. Lupus addit habuisse jurisdictionem ordinariam, causasque in prima instantia audisse ac diremisse. Cod. Bergom. Col. 463.

Tiraboschi notat ad chartam an. 871. villas & oppida suos habuisse Scabinos, quod hætenus ignotum fuerat.

*Diploma Widonis Imperatoris Bodoni Episcopo  
Aquensi concessum, atque a Guidone II.  
Episcopo ejusdem Ecclesiæ ex autographo  
per IV. Notarios descriptum.  
Ex archivio Episcopali.*

DCCCXCI.

In nomine sanctæ, & individue Trinitatis. Wido divina favente clementia semper Augustus. Cum suasionibus, & justis petitionibus nostrorum fidelium aures nostræ pietatis accomodamus, id nobis, & ad temporalis imperii regimen profuturum credimus, & ad gloriam æternæ beatitudinis promerendam. Quapropter omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium scilicet, & futurorum comparente industria notum sit, quoniam Manfredus (1) noster fidelissimus comes, & consiliarius nostram imploravit clementiam, quatenus in Episcopatu Aquensi, videlicet